Quaestio medica ... An senibus chocolatae potus? / [Jean François Clément Morand].

Contributors

Morand, Jean-François-Clément, 1726-1784.
Baron, Hyacinthe Theodore, 1686-1758.
Université de Paris.

Publication/Creation

[Parisiis] : [Quillau], [1749]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/whm4q6bb

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimà-septimà mensis Februarii, Anno Domini M. DCC. XLIX.

M. HIACYNTHO-THEODORO BARON,
Antiquorum Facultatis Decanorum Antiquiore,
Doctore Medico, Præside.

An Senibus Chocolatæ Potus?

I.

OMO nascitur, ut patiatur. Vivit, ut moriatur. Mors, vitæ dolorumque finis. Ergò ne mori adeò miserum est? Seriùs ocyùsve ineluctabilem hanc attingit metam. Vix natus quandòque perit, sæpè adultus & maturus, rarò senex. Hominis dùm vita fluit, plurimas experitur in animo & corpore mutationes; quas jugis & alterna solidorum cum fluidis lucta, rerum non naturalium usus

abususve ingenerant. Hæ mutationes nusquàm magis conspicuæ sunt, quàm in variis vitæ ætatibus : ideò illas quatuor anni tempestatibus comparavêre Medici. Quemadmodùm Vere, plantarum semina progerminant & evolvuntur, Æstate crescunt, Autumno maturescunt, Hyeme marcescunt & emoriuntur : sic in Infantiâ & Pueritiâ, evolutum germen hominis expanditur, in Pubertate & adolescentiâ explicatum crescit, in constanti & maturâ ætate roboratum solidescit, in senectute decrescit & ruinam minatur. Noli senectutem semper annorum numero computare. Venit illa sæpiùs antè tempus; dùm in tempore nondùm adest. Plurima sunt quæ præmaturam accersunt senectutem, præsertìm ingluvies, desidia, luxuries, mœror. Cupis-ne tardam senii experiri necessitatem, aut molesta hujus ætatis tædia præcavere? Te Medicis obliga legibus. Diù & salubritèr vivit, qui Medicè vivit. Animi motibus frænum injice; iras comprime; venerem illicitam reformida; legitimam modera; mœrorem, sanitatis venenum, depone; hilaritatem, vitæ condimentum, cole; aëre puro, temperato, sereno fruere. Esto ad laborem impiger; fuge desidiam; somnus sit nec longior, nec brevior, ut & vigilia; haud plus ingere quàm evacues; sume cibos simplices, tenues, facilè parabiles, optatos tamen: at iis nusquàm ad saturitatem utere. In eligendo potu, cura sit maxima: ut enim facilius est potu repleri quàm cibo, sic & facilius lædi. Non unus idemque convenit omnibus & temperamentis, & ætatibus. Potus Senibus salubrior est, qui arcet à solidis, rigiditatem; removet crassitiem, à fluidis; fovet in utrisque amicum æquilibrium; hoc vigente, corporis & animi functiones perficiuntur ritè; at eodem deficiente, pessumdantur; atque humana machina, senio deficit, morbo diffluit, fato corruit.

I I.

SANCITAM senescendi ut moriendi declinare legem, non est virtutis humanæ. Sed stabilire præcepta, remedia invenire, præscribere alimenta, quibus senectus retardetur, illiusque præcaveantur mala, aut saltèm tolerabiliora reddantur, Medici juris est atque potestatis. Dolenda certè senis conditio. Hunc malorum omnium, quasi prædam non ineptè dixeris. Nec mirum; adeò mutata, deformia, funerata sunt in sene, quæ hominem nobilitabant corporis & animi ornamenta, ut senem, non tàm hominem, quàm hominis simulacrum crederes. At non omnibus par calamitas. Sunt quidam (pauci tamen) quibus virides, lætos, jucundosque in senectute etiam provectiori dies traducere concessum fuit: illi sunt; qui ficti me-

liori luto, in rebus ſervavêre modum, aut qui ridenti ætatis Vere, aridam ſenectutis Hyemem cauti metuêre. Ut in Hyeme, ſic in ſenectute corpora ſicceſcunt. Seneſcere, ſicceſcere eſt. Siccitas à ſolidorum induratione, & ductuum exilium obliteratione, à fluidorum ſpiſſitudine & ſalſugine. Vaſa in Senibus obliterari, ſuturarum in Cranio evincit abolitio; ſolida indurari, membranæ, tendinum; tendines, cartilaginum; cartilagines, oſſium adepta ſoliditatem, demonſtrant. Fluida inſpiſſari, Polypoſæ concretiones; aceſcere, Pruritus, Tuſſes, Rhumatiſmi, Dyſuriæ &c. oſtendunt. Humoris defectu, concidunt, obturantur ductus, areſcunt partium fibræ; ſic collapſa, anguſtata, compreſſa vaſa non ampliùs inſuccantur: indè in Senibus corporis marcor, rugæ & oſſium fragilitas. Duplex ſenectutis labes; prima, à ſolidis, quorum labaſcit mollities, cadit elater, ſegneſcit oſcillandi virtus; altera, à fluidis, quorum craſis alteratur, ductilitas deficit, evaneſcit dulcedo. Igitur in Senibus depravari coctiones, ſecretiones impediri, otiari excretiones, vires atteri, valetudinariaque fieri eorum corpora neceſſum eſt. Status ſenum, morbus jugis, aut ſaltèm aſſidua morbi cauſa. Dureſcentes fibræ conſtringuntur, breviores fiunt, coarctantur vaſa, oritur ſpaſmus naturalis; à ſpaſmo, oſcillandi ſegnities, hinc membrorum frigiditas. Labaſcente *ſyſtalticâ* vi, ſanguis, lympha, ſpiritus, ſucci omnes ignaviùs pelluntur, concreſcunt, remorantur, hærent. Arctatis vaſorum diametris, liquida non depurantur, redundant in vaſis humores, qui copiâ, morâ effervesſcentes & aceſcentes, balſamicam temperatamque non modò exunnt indolem, ſed & immitem, ſalſam & urentem induunt. His ex fontibus malorum & morborum ſenilium origines. Sed inquis, quænam Panacea, tantam à ſenum corporibus avertet ruinam? Potus eſt, qui nutriendo ſimul & humectando, partibus ſolidis, mollitiem, oſcillationem, vigoremque præbet; qui fluidis tenuitatem, volubilitatem, dulcedinemque procurat: tali potu dabitur Senibus quodammodò juveneſcere.

III.

POTUS ad vitam neceſſitas maxima; ad ſecundam & adverſam valetudinem ampliſſima utilitas. Potus ſiti compeſcendæ, partibus humectandis, diluendis, demulcendis, temperandis humoribus, à naturâ potiſſimùm dicatus eſt. Immenſa potûum varietas. Nulla eſt gens, quæ ſuos non habeat familiares & caros. Alii ſimplices, compoſiti alii; hi & illi, ſpirituoſi, vinoſi, aquei; cum floribus, ſeminibus, fructibus, radicibus, foliis, vel fermentatione, aut coctione, vel infuſione aut maceratione, conficiuntur. Aquæ

potus, ſolus omnibus animantibus communis, & maximè naturalis, ſitienti neceſſarius & ſufficiens : cæteri ad voluptatem potiùs quàm ad neceſſitatem inventi. Hos inter potus credas ſalubriores, qui ad aquæ indolem propiùs accedunt. Præter aquam, potulenta apud nos uſitatiora ſunt Vinum, Cereviſia, Pomaceum; Thé, Café, Chocolata. At omnium ſit rectus, moderatuſque uſus, pro diverſis anni tempeſtatibus, hominum temperamentis, ægritudinibus, ætatibus. Singularem in confirmandâ & reſtaurandâ ſenum valetudine laudem meretur Chocolata. Maſſula eſt ex quâ fit potus, apud Americanos antiquiſſimus, vulgaris, ſed inſuavis; apud Hiſpanos recentior eſt, & ſuavior, ſed non ſalubrior; apud nos & per totam ſerè Europam, nunc percelebris & maximi uſûs, Pariſiis præſertìm ubi omnium perfectiſſima & ſaluberrima elaboratur Chocolata. Cacao, veluti baſi, Vanilliâ, inter Aromata guſtu & odore gratiſſimâ, & Saccharo, quod utrumque mitigat ac perficit, conflatur. Saccharum additur ferè ad æquale pondus Cacao; pro hujus unaquâque librâ Vanilliæ drachmæ duæ ſufficiunt. Hanc è Chocolatâ ſi ſuſtuleris, ſuavitatem & odorem detrahes; adjicies bonitatem. Inquiris de Cacao? Amygdala eſt in Nuce, Nux in fructu incluſa: fructus pendet ex trunco, quandoquè ex ramis majoribus, Arboris ubertìm creſcentis in Guianæ & Mexicaniæ Plagis, nunc etiam in Martinicæ & Sancti Dominici Inſulis. Arbor illa procera, jucundè frondeſcit, floreſcit editque fructus, qui toto anno per vices matureſcunt: Cucumeris figuram, magnitudinem, colorem ſat bellè repreſentant hi fructus; in baſi depreſſi ſunt, acuminati in apice; in ſuperficie ſtriati; cortice extùs, intùs medullâ & ſeminibus conflantur. Medulla alba & ſolida primùm, mucoſa evadit, quæ grato acidi ſapore guſtum recreat, ſitim extinguit. Semina ſive Nuces amara ſunt; miro ordine coacervatìm, juxtà ſe invicèm poſita, ſingula fibroſo pediculo revincta, racemum quemdam adumbrant, & in unoquoque fructu ad minimum quindecim, ad ſummum triginta quinque aut quadraginta numerantur. E fructibus maturis avelluntur Nuces, quæ poſtquam, ut dicunt, ſudaverint, ad ſolem exſiccantur. Venalis proſtat apud nos duplex Cacao ſpecies; prima, *Caracouenſis* & exigua, quia magis unguinoſa, minùs amara; alteri ſpeciei quæ Cacao Inſularum dicebatur, antecellit. Mercatorum avaritiâ aut ignorantiâ nititur illa opinio, quæ ob craſſitiem aut parvitatem duas diſtinxit Cacao ſpecies; unica eſt. Itaquè parvi refert ad delectum, an craſſus exiguuſve ſit Cacao, modò ſit ejus cortex lævis, ſubniger, Amygdala pinguis, ſuccoſa, extùs coloris Avellanæ obſcurioris, rubicundioris intùs, guſtu paululùm amara & aſtringens: at proſcribenda, quæ mucidum aut acerbum olet & ſapit, aut quæ carie infecta eſt. Ad conficiendam probæ

notæ Chocolatam, cave ne in Cacao delectu, torrefactione, triturâ aut mixtione hallucineris aut pecces? Ex his quatuor tota pendet confectionis & cum suavitate virtus. Igitur Cacao fructus probè electi, curiosè nudati cortice & pelle, tosti appositè, diù pinsiti, diutiùs lævigati suprà calentem lapidem, dein exactè cum saccharo & aromatibus tenuissimè pulveratis, si libuerit, exactè misceantur; iterùm atque iterùm lævigentur simul, undè fit pasta seu massa lævis, unguinosa, æqualis, quæ calens credatur Pyxidi ut refrigerando sensim induretur. Sic ritè parata ad annum & ultrà servari potest Chocolata; sed non nisi post tres à fabricâ menses in usum adhibenda, ne recentior fermentescens turbas moveat. Tùm hujus uncia una in scobem redacta, cum aquæ calentis unciis sex misceatur in Cacabo, liquor fervens ab igne semotus, tudiculâ donec multùm spumaverit, fortiter & partitis vicibus agitetur, & statim calidum sorbeas jejunus, ut absque ullâ stomachi noxâ concoquatur, distribuatur. His variis artibus operibusque conficitur & exurgit Potus odore gratus, gustu suavis, salubritate nulli secundus; Asthmaticis, Emaciatis, Tabidis, Senibus præcipuè, ob balsamicam, roborantem, temperatam, coctu facilem naturam maximè proficuus.

I V.

PHTYSIM mentitur senectus: in utrâque corpora debilitantur, emaciantur, atque contabescunt; solida rigiditate & spasmo, fluida lentore peccant & acritudine. In Tabe *Hordeata*, *Orysata*, *Amygdalata*, Lac & alia demulcentia felicitèr adhibentur. In senio utilitèr præscribitur Cacao. Eadem virtute unguinosâ, oleagineâ, *mucilaginosâ*, leniente pollet. Multiplici nomine iis longè præstat. Hæc acido referta, facilè acescunt; ille acoris expers, acescit nunquàm. Copiosiùs nutrit, meliùs digeritur, tenuatur exactiùs, in penitiores vasorum mæandros leniùs distribuitur; ad ultimos usquè ductuum poros faciliùs pertingit, per quos particulæ (si quæ sint) nutritioni vel assimilationi minùs aptæ foràs abiguntur perspiratione. Nulla fit excrementitiarum partium congestio, in omni ætate, senili potissimùm timenda. Has dotes Amygdalis Mexicanis perperàm ascribi ne credideris? Eas demonstrant experientia, authoritas & ratio. Quot languidi, emaciati, senes decrepiti, modò sobrii & abstemii, ab earum usu quotidiè reficiuntur, restaurantur, renovantur. Ab authoribus fide dignissimis, ut non pauci vitentur morbi, diuturniorque firmetur sanitas, commendantur hi fructus. Deniquè Analysis Chymica docet; ex iis Nucibus; 1°. Elici Phlegma limpidum, dulce; 2°. Spiritum sale per-

fectè ſalſo ſaturum, nullam acidi aut alkali notam præbens; 3°. Oleum duplicis generis, prius, album, fluidum, ſummè volatile; poſterius flavum, facilè concreſcens, atque ad Butyri accedens naturam. Ex ſuperſtite cinere pauxillùm ſalis fixi educitur: nullum datur mixtum copioſiore olei, parciori ſalis quantitate donatum. Convenientius ne in naturâ alimentum reperies, quo rigiditas & ſiccitas ſolidorum ſenectutis comes individua, oleoſarum partium copiâ efficaciùs relaxetur, emolliatur? Coria vetuſtate regidiora oleo vulgari imbuta molleſcunt. Ab iiſdem partibus demulceri, irretiri ſuccos acriores Senibus infeſtos, norunt omnes qui Chymiam vel à limine ſalutaverint. Phlegma inſipidum, ſpiritus ſale mox laudato gravidus, eoſdem vel præſtantiores effectus producet; ſanguini & humoribus tenuitatem, fluorem & motum, partibus vigorem, flexibilitatem & tonum impertientur; quibus exerendis imparia eſſent quæcumque alimenta, ſive ex vegetalibus, ſive ex animalibus deprompta, priora ſale acido, poſteriora ſale alkalino turgent; ab acidis inſpiſſantur humores, à ſale alkalino irritantur inſtiganturque ſolida eò vividiores *criſpaturas* editura, quo majori rigiditate donantur. Chocolata quamvis tenuium ſit partium, præparationibus præviis in pultem chyli imò lactis æmulam & digeſtu facilem redigitur. Quot & quanta ſalubris hic potus ſenili corpori afferet bona? Intimiora partium etſi conſtrictarum repagula permeando, lubricat; ſpaſmos removet; oſcillationem & elaterem vaſorum reſtituit; ductus ad conſtrictionem proclives reſerat & expandit; ſuccis lenteſcentibus fluiditatem; dulcedinem aceſcentibus; torpeſcentibus agilitatem; redundantibus & nocivis facilem exitum præbet; ob *mucilaginoſas* butyroſaſque particulas, & eam quam habet cum ſucco nutritio maximè propriam affinitatem, partibus reparandis facilè adhæreſcit. Sic nutritio, digeſtio, ſecretio ex naturæ votis abſolvuntur, quæ in Senibus damnosè videntur feriari. Has functiones promovet & perficit modus quo ſorbetur potus Chocolatæ. Proficuos eſſe potus calidos tenui valetudine tentatis fatentur omnes, fibras ventriculi corroborant, ſuccorum circuitum juvant, humores mucidos, craſſos diluunt ac dividunt, diaphoreſim cient. Quæ ſingula Senibus maximè conferunt. Igitur non ampliùs merum, ſed Chocolata Lac ſenum dicatur. Merum partibus actuoſis, volatilibus, acidis, tartareis ſcatet; humores agitat, ſpiſſat, vaſa obſtruit, irritat & maturat ſenectutem. Vini modicum ſed diluti, ad ſolatium ætatis, non ad uſum vitæ convenit, aliàs ſenes depaſcitur. His caret vitiis nuſquàm ſatis Senibus commendanda Chocolatæ potio; quæ licet calida, non effervefcit; Aromatica, non exſiccat; oleoſa; non inflammat.

V.

NON ideò Chocolatam tantoperè Senibus prodesse existimaveris, quia nocivæ illius qualitates Aromatum admixtione salubritèr emendantur : Cacao correctione non indiget. Chocolata eò salubrior, quò simplicior. Repudientur Aromata quorum subsidio ejus cruditatem & fictitiam frigiditatem corrigere gestiunt. Quasi verò semen friabile, ductile, torrefactionem atque perfectam trituram perpessum, partibus oleosis gratâ amaritie gaudens, frigiditate argui posset : è contrariò inter præstantissima *Analeptica* atque *Stomachica* recensetur ; quippè potentèr corroborat, variisque morbis ventriculi, *Anorexiæ*, *Apepsiæ*, colicis doloribus, flatibus, &c. mirum in modum opitulatur. Forsan objicies, insunt in Chocolatâ partes viscidæ, terrestres, maximè oleosæ quibus viscera infarciuntur, gignuntur obstructiones, coctiones fiunt difficiles ? Præviæ preparationes ab hâc suspicione eam planè vindicant ; particulæ igneæ illi inditæ à torrefactione ; exactior partium divisio à tritu ; partium aërearum miscela ab agitatione ; oleum volatile quo dives est, obstructionibus reserandis, subeundis digestionibus eam comparaverunt. Hæ probantur virtutes, observatione sanorum ægrotantiumve, sexu, ætate, temperamento diversorum, qui omnes felici cum successu, omni tempore, ubique terrarum eâ solâ pro cibo utuntur ; & infantes ipsi in nutricis defectu hâc nonnunquàm perbellè nutriti sunt ; quidnì & senes ; primæ & ultimæ ætatis par fermè debilitas utrique idem competit nutricatus. Non calidiorem in Cacao, sed sanguinis calori analogam indolem facilè recognoscet, qui attenderit pulsum assumptâ vel largâ dosi Chocolatæ non increbrescere, augescere, nullum persentiri æstum, etsi pluriès in die epotetur, sitim ardentem subitò extingui, placidum induci somnum, ac demùm pinguescere eos qui diù ejus usui insistunt : tot & tanta, ut alimenti temperati, dulcis, benigni dotes repræsentant ; sic etiam præcavendis ac medendis senum infirmitatibus apprimè conveniunt. Sed intrà certos fines consistit sanitas. Si Cacao validius copiosiusque suppeditaverit nutrimentum, hâc ratione suspectus videbitur : experimentis innotuit ex unciâ unâ horumce nucleorum, tantum succi nutritii educi, quantum ex librâ unâ carnis bubulæ. Esto ; verùm magnum discrimen inter hos duos succos intercedit ; Cacao succum dulcem, tenuem, balsamicum, lymphæ nutritiæ affinem, omnibus innoxium suppeditat : carnes crassum, viscidum, salsum, efferum, senum constitutioni infestum sufficiunt nutrimentum. Faciliùs quantitas luxurians alimenti minuitur, quàm ejus pravæ qualitates corriguntur. Quantitatem alimenti ingerendi

indicant major vel minor appetitus, virium jactura, vivendi ratio, ætas, corporis habitus; etenìm plus æquò saginatis & otio & genio indulgentibus Chocolatâ interdici debet. Ad caducam senum valetudinem tuendam, alimenta minori mole assumpta, plurimùm nutrientia præferre ne dubites? Ventriculus non gravatur, obruitur; corpus nutritur uberius, promptiùs reficitur. Talem esse Chocolatam confirmat ejus vis *Aphrodisiaca*: id habet commune cum omnibus alimentis *Euchymis*; hic effectus in ætate provectâ non reformidandus; senes sapientiores eo non abutuntur, quemadmodum juvenes nonnulli: semper dulce est pulchrâ prole fieri parentem. Quid rides? Occupo; patria non tàm prolem à Senibus quàm eorum consilia expostulat: expetit ut suis monitis atque exemplis publicæ utilitati inserviant; cui muneri non impares, dummodò rectà vivendi ratione mentem sanam in corpore sano tueantur. Quod præstabit Chocolata, quæ chylum & sanguinem, spiritibus animalibus sufficiendis maximè aptos producit. Genesim & secretionem fluidi nervei uberiores reddit; certo sunt indicio, subita virium epotâ Chocolatâ refectio, mentis hilaritas. Quid plura? Ejus protractiori usu firmatur memoria, judicium maturius efficitur, sensus acuuntur, corpus vigescit, vita demùm felicior prorogatur.

Ergò Senibus Chocolatæ Potus.

Proponebat Parisiis JOANNES-FRANCISCUS-CLEMENS MORAND, Parisinus, è Regiâ Scientiarum Academiâ Matritensi, nec non Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, A. R. S. H. 1749, à sextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1749.